



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Cluniacensis ordo & monasterium, in d. Matisconensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

les, a quo Comite illustrissima familia Girorum genus suum ducit.

Monasterium S. *Bartholomei de Medina del Campo*: Cuius loci Prior gaudet titulo Abbat. In eo loco visitur imago Christi crucifixi, & frequentatur magna cum deuotione populi. Monasterium S. *Mancij* qui fuit discipulus Christi vt traditur, & ibidem quiescit.

Monasterium S. *Saluatoris de Nogal* olim Abbatia nunc Prioratus. Fundatrix fuit illustris matrona Eluira Sanchez Era 1001. Ex hoc monasterio Nogalensi assumpti sunt primi monachi ad fundandum monasterium Ordinis S. Benedicti in vrbe Vallisoletana petente Ioanne illius nominis primo Rege, & mittente Ioanne Abbate de Sagagun. Vallisoletanum istud monasterium nunc est caput totius congregationis reformatæ in regno Castellæ. Ita Prudentius Sandouallius prima parte foundationum monasteriorum Benedictinorum in Hispania.

CAPVT L.

Cluniacensis ordo & monasterium, in d. Matisconensi.

DE Abbatia Cluniacensis origine sic legitur in Chronico Cluniacensi: *Monasterij Cluniacensis primus fundator fuit Guarinus alias Gerinus, Comes Cabilonensis & Matisconensis, regnante Ludouico Pio Caroli Ma-*

gnip-

gni filio circiter annum 820. quod postea ab Hun-
garis deuastatum, à Guilielmo Aquitonia Duce
restauratum fuit. Aiunt autem istam Guiliel-
mi foundationem siue instaurationem toto
orbe celeberrimam, factam fuisse anno 610.
ipsumque in illo suo monasterio Bernonem
primum Cœnobiarcham locasse; postea
Guilielmum obiisse anno 918, sepultum-
que in Basilica S. Iuliani Biturigibus. Fa-
cillimè verò quisque sibi persuasum habe-
bit Guarinum illic commemoratum eundem
esse qui Vvarinus à Genebrardo in Chronico
dicitur: & is certè annis centum Ducem A-
quitanicum præcessit. Addunt autem Petrum
Venerabilem creatum Abbatem nonum an.
1122. ætatis suæ anno 28. & defunctum esse
anno 1157. Ceterùm veteres ordine Abbates;
si numerantur. Primus legitur *Berno*, secundus
S. *Odo*; ille sub annum 895. hic ab anno 913.
tertius *Adamarus* ab anno 938. quartus S. *Ma-
iolus*, & quintus S. *Odilo* ad annum 993. per
annos 56. sextus S. *Hugo* ex familia Princi-
pum Belliocensium anno 1109. septimus *Pon-
tius*; octauus Hugo II. nonus Petrus
Venerabilis: decimus Hugo

III. &c.

{:o:}

